



Fluminaque ingemuere, & montes, & nemora hirta,
 Littoraque, scopulique, & mare monstriferum.
 Ipse etiam cœlo flevit Sol aureus alto,
 Fulgentem & claro cæsariem capiti
 Detraxit, lucisque almæ volitantia longe
 Tela dolens atram condidit in nebulam.
 Hæc olim: nunc multa itidem post sæcla novamus
 Ploratum ingentis mæstitiæ comitem.
 Nam tamen & si heros magnam semel exantlavit
 Ærumnam, illaque tot præteriere mala:
 Nec quidquam superest nisi laus, & præmia laudis;
 Et si jam templis victor in æthereis
 Jam victor, domita jam clarus morte, laborum
 Nec memor æterna vescitur ambrosia;
 Et mater dulci gnato comes inter ovantum
 Pulchra fedet lætas cœlicolum choreas;
 Mens tamen hæc mœstis ignorat cuncta diebus,
 Tempore in hoc lætum nil meminisse potest.
 Illa modo series magnorum immensa dolorum,
 Quosque tulit gnatus, quosque tulit genitrix,
 Obscurat, mœstaque meum caligine pectus
 Opplet: cuncta ipsos nunc fieri ante oculos,
 Cuncta meo penitus mi fixa in corde videntur,
 Usque adeo mœstis fervet imaginibus,
 Horretque, ægrescitque animus, nec cernere Patris
 Summi probroso in robore progeniem
 Suffixam fæde, miseram nec cernere matrem
 Sustinet infandis luctibus implicitam,
 Pallentemque, ægramque, informi proxima trunco
 Dum stat, dum gnato proxima stat gelida
 Rupe super, gemitusque audit, cernitque cruorem,
 Omnibus e venis qui fluit, & niveos
 Irrigat exundans artus, rivoque tepente
 Subter humum, duos irrigat & lapides.